

**XVI**

PALINODIA AD TYNDARIDEM

*Strophe Alcaica*

Ō ! māt̄re pulchrā filia pulchrior,  
Quem cr̄iminōsīs cumque volēs modum  
Pōnēs iambīs ; sīve flammā,  
Sīve marī libet Hadriānō.

Nōn Dindymēnē, nōn adytīs quatit  
Mentem sacerdotum incola Pŷthius,  
Nōn Līber aequē, nōn acūta  
Sic geminant Corybantes aera,

Trīstēs ut īrae : quās neque Nōricus  
Dēterret ēnsis, nec mare naufragum,  
Nec saevus īgnis, nec tremendō  
Iuppiter ipse ruēns tumultū.

Fertur Promētheus addere pr̄incipī  
Līmō coactus particulam undique  
Dēsectam, et īnsānī leōnis  
Vim stomachō apposuisse nostrō.

Īrae Thyestēn exitiō gravī  
Strāvēre, et altīs urbibus ultimae  
Stetēre causae, cūr perīrent  
Funditus, imprimeretque mūrīs

Hostīle arātrum exercitus īsolēns.  
Compesce mentem ; mē quoque pectoris  
Temptāvit in dulcī iuventā  
Fervor, et in celerēs iambōs

Mīsit furentem. Nunc ego mītibus  
Mūtāre quaerō trīstia ; dum mihī  
Fīās recantātīs amīca  
Opprobriīs, animumque reddās.